UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Notitia Congregationum Et Tribunalium Curiæ Romanæ

Plettenberg, Hunold

Hildesii, 1693

§. 7. De Literis dispensationis ab Irregularitate proveniente ex defectu occulto Nataliu[m].

urn:nbn:de:hbz:466:1-63032

Visual Library

§. 7.

De Literis diſpenſationis ab Irregularitate proveniente ex defectu occulto Natalium.

1. Diſpenſat etiam S. Pœnitentiaria in hoc caſu, dummodo occultus ſit, & ſubſit rationabilis aliqua cauſa, neque tam gravis & urgens 'requiritut, quam cum diſpenſatur ſuper Irregularitate orta ex Homicidio.

2. Advertendæ vero ſunt à Confeſſario hæ Clauſulæ: Quod examinare debeat, an defectus ſit occultus; An cauſa pro obtinenda gratia ſit vera; Diſpenſatio facienda ſit poſt Confeſſionem Saeramentalem; Præter ea, quæ § præcedenti notata ſunt.

3. Forma diſpenſationis à defectu nalium eſt iſta:

Inſuper authoritate Apoſtolica mihi ſpecialiter delegata tecum diſpenſo ſuper defectu Natalium, & Irregularitate inde proveniente, ut præfato defectu, & Irregularitate non obſtante Clericali charactere inſigniri, & ad omnes etiam ſacros & Presbyteratus Ordines promoveri, & promotus in eis miniſtrare licite poſſis & valeas. In nomine Patris, *& Filii, & Spiritus ſancti, Amen.*